



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

IV. Timor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

III. *Humilitas.*

Cum verò Apostolus tuus monuerit:
Humiliamini sub potenti manu Dei,
ut exaltet vos in tempore visitationis. I.
 Petri 5. Ego terræ vermiculus, coram te
 Deo omnipotente, animam meam humi-
 lio, totusque ante thronum Majestatis tuæ
 prostratus ac pavimento adhærens te ad-
 oro, meq; & omnia mea tibi submitto. Ag-
 nosco infirmitatem, & fragilitatem meã
 omnimodam, nihil sine te valentem: re-
 vereor potestatem tuam summo jure de
 me pro arbitrio disponentem: ecce in ma-
 nibus tuis, tempora mea & omnia alia.

IV. *Timor.*

Tremo etiam coram te, potentissime
 Deus, atque expavescō, dum stupen-
 da opera tua considero, quæ usque modò
 operaris in cælo & in terra: præsertim in
 sacrosancta Eucharistia: ad quam corde
 immundo accedere, aut sine debita præ-
 paratione appropinquare, quis mortaliũ
 non perhorrescat? Non timeo, nec tam
 terreor ab his, qui solum corpus occidunt,
 & post hæc non habent amplius, quod
 faciant: sed valde, instar filii reverentissimi

& amantissimi, timeote te, Deus omnipotens, qui postquam occideris, potestatem habes corpus & animam mittendi in gehennam; & in ipso peccati momento cum fulmine & tonitru, sicut Luciferum, deturbandi in infernum; ita ut nemo ququam de manu tua possit eruere. Quàm terribilia sunt opera tua Domine!

V. Charitas.

Sed & quàm amabilia! exstimulat enim me ad amandum, quoque te, omnipotentia tua, quæ creavit me, conservavit me, dotavit & ditavit me omnibus bonis & donis tuis. Si igitur in Parentes & Benefactores tanto feror amore; in te Creatorem meum & Benefactorem summum quanto amore rapiar? si auxiliares & adjuutores diligo: te non complectar arctius, à quo in omnibus cogitationibus, verbis & actionibus jutor & dependeo plus quàm umbra à corpore? O Deus omnipotens diligo te super omnia, & milles amplius diligere te desidero: sed cum sine te, nihil possim facere, tua me juvet omnipotentia, ut tenerrimè amem te hinc, & ibi in Patria in sempiterna secula. Amè.

VI. Aff.